



Universitätsbibliothek Paderborn

**Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D.
Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac
Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas
Missalis Et Breviarii Romani**

Adiectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad
præsens emanatis

Complectens omnia Gavanti Commentaria in Rubricas Breviarii - Cum
Indicibus Decretorum, Rerum atque Verborum notabilium

Merati, Gaetano Maria

Augustæ Vindelicorum, 1740

VD18 10783695-002

Monita

urn:nbn:de:hbz:466:1-39775

MONITA

In celebrandis per Triduum ex Indulto Apostolico sollemniis Beatificationis cuiuscumque Christi Martyris, seu Confessoris, observanda in Ecclesiis Ordinis Minorum SANCTI FRANCISCI Cappuccinorum.

I. Tatuendi sunt dies magis congrui per Ordinarium, & Superiorem Loci, seu Conventus, ut Populus fidelis commode convenire valeat ad Ecclesiam, præmonitus de Indulgientia plenaria injbi lucranda.

II. Ornanda erit Ecclesia omni meliori studio, ita tamen, ut nostri Instituti Paupertas, & tantæ simul Sollemnitas Testimonia in ea undeque resplendeant.

III. Prima, vel alia die Tridui recitandum erit in Choro Officium Beati totum de Comuni, quemadmodum fuerit in Brevi Beatificationis prescriptum, sub Ritu Duplici Majori.

IV. Die, quo celebratur Officium, omnes Missæ erunt de Beato, quæ etiam à confluentibus utriusque Cleri Sacerdotibus poterunt celebrari, ut ex Brevi solet confare.

V. Missa erit pariter de Communi cum GLORIA, & Oratione, quæ fuerit lecta in Missa Beatificationis, & quemadmodum in eadem Missa dicitur CREDO, sic etiam in Sollemnii ejusdem Beatificationis, quæ celebrantur in Partibus, sive extra Urbem, dicendum erit. Observandum tamei, quod hac excepta occasione in Missis de Beatis non ponitur CREDO, nisi forte eorum Festum occurrat in die Dominico, vel infra aliquam Octavam, cuius ratione aliæ dicendum foret.

VI. Prævidendum erit, ne prima die, aut alia, in qua recitatur Officium Beati, occurrat Festum altioris Ritus, sed potius inferioris, quod & erit transferendum ad aliam diem juxta Rubricas Breviarii Romani.

VII. In cæteris diebus Tridui recitatur Officium quod occurrit in Calendario, & celebantur Missæ, quæ concordant cum eodem Officio, ac una tantum Sollemnitas de Beato ob concursum Populi &c. non omissa tamen Conventuali de die ante Sollemnem de Beato.

VIII. In Missis concordantibus cum Officio diei, dummodo non occurrat Festum primæ Classis, præter Sollemnem de Beato, quæ communiter admittitur, videtur tolerabilis aliqua memoria, seu Commemoratio de eodem Beato etiam in aliis Missis.

IX. Si autem secunda, vel tercia die Tridui occurrat Festum Semiduplex, præter Sollemnem de Beato, & Conventualem de die, tolerabiles judicantur nonnullæ aliæ Missæ de eodem Beato, ratione continuationis Sollemnitas, concursus Populi, Ampliationis Cultus, Apparatus, Indulgientia &c.

X. In tribus his diebus in Ecclesia, ubi aguntur Sollemnitas Beatificationis, nullo modo celebrandas erunt Missæ de Requiem, ob disconvenientiam, & incongruitatem, quam habent cum Feste quod actualiter celebratur.

XI. Hac Sollemnitas Tridui occasione excepta, non permittunt Rubricæ celebrare infra Annū Missas votivas de Beatis, sed tantum Festivas in die Natalis, seu felicis Obdormitionis eorumdem Beatorum.

XII. Cum nihil reperiatur apud Nos determinatum circa Exercitia, aut Functiones per agendas, vel præstandas in honorem Beati tempore Tridui, Superiorum Provincialium, & Localium erit, præscribere ea, quæ magis in Domino opportuna judicaverint ad promoven- dum Cultum, fovendamque Devotionem erga Beatum, de quo celebrantur Sollemnitas.

Hac Methodus, quæ servata fuit, ex Peritiorum in Sacris Ritibus consilio, à Patribus Cappucciniis in celebrandis sollemniis Beatificationis Servi Dei Josephi à Leonissi, recente sequuta in sacrajuncta Basiliæ Lateranensi, ubi publicatum fuit Diploma Apostolicum Clementis XII. poterit juvare pro direc- tione aliorum Regularium, vel aliorum, quibus occurrat occasio celebrandi in propriis Ecclesiis similem sollemnitatem aliusquis Servi Dei noviter Beatorum Episcopis adscripti.

